

18

D. F. G.

Dissertatio Academica

De

Iniquo Christianorum in Iudeos odio,

QUAM

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE BILMARK,

Historiar. ac Philosoph. Pract. Professore Reg. & Ord.

PRO LAUREA

Publicæ disquisitioni submittit

JOHANNES AHLSTUBBE,

Subst. Sacell. Ublab. Ostrobotn.

IN AUDIT. MAJ. DIE XVII JUNII MDCCXCV

H. A. M. C.

A B O Æ ,

Typis FRENKELLIANIS.

à Monsieur,
Le Baron

JEAN FREDERIC CARPELAN,
Major-Général, Gouverneur de la Province d'Uleaborg
et

Chevalier de l'Ordre Royal de l'Epée,

Monsieur,

*Je ne saurois disconvenir d'avoir beaucoup hazardé,
mettant Votre Illustre Nom à la tête de ces feuilles.
Mais je n'envisage à présent dans Votre Personne, Monsieur,
que le Protecteur des Lettres & l'Ami du vrai,
& c'est à ce titre que j'ose espérer, que Vous, Monsieur,
ne refusiez l'hommage, que je Vous rends, étant toute
ma vie avec le plus profond respect*

Monsieur,

*Votre très-humble
& très-obéissant serviteur
JEAN AHLSTUBBE.*



PRÆFATIO.

Quartumcunque Nationum annales perlustrantes, nullam hactenus invenimus, qua indolem & qua fata cum Gente Judaica plene comparandam. Multis ac magnis pleræque jactatæ fuerunt vicissitudinibus; suis aliæ ejectæ sunt sedibus & per totum fere terrarum orbem dispersæ, quarum posteri in unum cum aliis populis coæluerunt; aliæ vero ita obtritæ, ut nulla earum, præterquam in Historicorum, scriptis amplius supersint vestigia, Judæi autem in natali solo sæpius bello lacestisti, gravissimæque a vicinis Regibus vexationes ac persecutio[n]es perpetræ, in Palæstina tamen, quamdiu templum stetit Hierosolymitanum, cuius intuitu plura a propitio Numine sibi pollicebantur bona, numerosi manserunt; illo autem & urbe funditus deletis, ad singulas mundi plagas catervatim se contulerunt; semper tamen & ubique suam retinentes vernaculam, licet aliarum etiam Nationum linguis uterentur, suos quoque mores, Majorum vivendi rationem, & ex cultu Dei publico tantum, quantum Principes, quorum suberant imperio, eis indulgerent, peculiarem ita Nationem adhuc constituentes (*a*). Misera vero in plurisque regnis est Judæorum conditio; officia enim huma-

nitatis eis non raro denegantur, & tamquam malefici s^epe inopinato suis expelluntur sedibus. Ubi autem tolerantur, parum abest, quin infamibus accenseantur, vilissimisque æquiparentur mancipiis, a publicis etiam officiis, tantum quod Judæi sunt, excluduntur, & ad opicia non nisi ægre admittuntur. Quocirca tamen querere haud inepte potest Pulosophus: An Judæi tantum Christianorum promeriti sint odium? De qua re in hac dissertatione non nihil disquirere constituimus, Benevolum Lectorem prius rogantes, velit nostras expendere rationes, & de eis pro sua judicare æquanimitate; res enim agitur Nationis, olim maxime inclitæ.

(a) Nobis assentitur Cel. BASNAGE dans l'*Histoire des Juifs* Tom. IV. Libr. 6. Cap. I. §. I, seq. Les Juifs ont passé de siècle en siècle au travers de la misère, de la persecution & des torrens de leur propre sang, qu'ils ont repandu. Ils vivent encore, malgré la honte & la baine, qui les suit en tous lieux, pendant que les plus grandes Monarchies sont tellement tombées, qu'il ne nous en reste que le nom.

§. I.

Miseram Judæorum sortem, quam modo indicavimus, Christianorum in eos odio qua majorem partem esse tribuendam, qui non negant, simul tamen contendunt, & illam esse promeritam, & hoc non iniquum, propterea quod Judæorum majores CHRISTUM, mundi Salvatorem, veram salutis viam eos docentem, ac multis & exspectationem eorum superantibus beneficiis eos cumulantem, ex horrenda malitia in nefariam egiscent crucem; quod suos discipulos, & probos & beneficos, quovis modo exagi-

agitascent, quod denique cruentas persecutions contra Christi Ecclesiam recens planitatem excitascent. Quamvis autem hæc accusationum capita sint & vera & maxime momentosa; in hanc tamen culpam tota Natio Judaica non venit. Dum enim Salvator noster proxime ante suam passionem Hierosolymas intravit, populus ei obviam factus, suam ei venerationem solenni, quo Principes Orientales a suis excipi solebant subditis, testabatur modo, eique in templo comparenti accinebat. Hoc populus Judaicus: ejus autem antistites, inuidia ac fastu tumidi, tantumque non ferentes Doctorem, qui eos sèpe confuderat, consilia inibant, ut eum e medio tollerent. Ex horum quoque machinationibus factum est, ut Christus crucifigeretur, gravissimæque in Apostolos & primos probosque Christianos fusciperentur persecutions. Rebus ita comparatis, quid æquius, quam ut populus Judaicus, oppressionem Phariseorum aliorumque, nisi his consentiret, extimescens, ab his in sanguinolento isto negotio distinguatur, nec integræ Nationi & singulis hujus posteris vitio vertatur crimén, cuius culpa in tumultuosa factionis capita redundat omnis. Nec reticendum, nobis videri, Romanos non minus in Salvatorem, quam Judæos delinquisse, partim quod Pilatus, tantum ut strepentibus antistitibus placeret, Christum innocentem declaratum, militibus suis flagellandum & crucifigendum tradiderit, partim quod sequentibus seculis Imperatores quidam truculenti horrendas in Christi ovile instituerint persecutions; in quos tamen Christiani nullam propterea moliti sunt vindictam.

§. II.

Aequitatem facti sui ostensurus, certus esse debet, illud præcepto legis, saltem aliorum proborum exemplis

non contrariari; quam tamen vitæ regulam haud obser-
vasse videntur Christiani, Iudeos acerrimo prosequentes
odio. **A CHRISTO**, Magistro suo ac Domino, quo man-
suetior non fuit alter, hæc fui discipuli acceperant præ-
cepta: ut hominibus, odio se habentibus, benefacerent, &
acceptas injurias patienter ac sine offensa ferrent. Ille etiam,
dum vi suæ omnipotentiæ Legiones Angelicas in suum
evocare potuisset subsidium, hoc tamen propter suam phil-
anthropiam facere noluit, quin potius in gravissimorum
cruciaturum æstu pro suis oravit tortoribus. Et illa præ-
cepta observanda, & hoc exemplum imitandum sibi pro-
posuerunt tam sui discipuli, quam Christiani in primitiva
degentes ecclesia, sicut ab omni fastu, ita etiam ab odio in
Iudeos, qui nec autores nec ministri fuerunt in sequen-
tium persecutionum, erant prorsus alieni; ut adeo non
appareat, ex quo æquitatis capite posterioris ævi Christia-
ni, qui cum jam nominatis ejusdem haberet voluerunt
scholæ, in Iudeos, qui nullis eos provocaverant injuriis,
aterrimam effunderent bilem.

§. III.

Animadversionem in hoc quoque meretur argumen-
to, quod quamvis primi Christianorum Imperatores nihil
intermitterent, quo pium in Religionem Christianam te-
starentur zelum, a sua tamen prudentia & æquanimitate
non potuerunt impetrare, ut Iudeos odio prosequerentur.
Regnibus enim THEODOSIO M. & hujus filiis AR-
CADIO atque HONORIO, Iudeis fuit concessum, suos
habere primates, ceu constat ex *Libr. VIII Cod. Theodos.*
de Iudeis, ubi inter *Viros Clarissimos & Illustres* referun-
tur, & simul constituitur, ut quos judicio suo ipsi proje-
cis-

cissent, brachio seculari non recipentur. Imo ex eodem codice colligitur, Judæos sua tunc habuisse synedria, suasque Synagogas, nec non suam disciplinam illis fuisse servatam. Quid? quod Imperatores An. 383. prohibuerint: ne Christiani destruere Synagogas, easque expoliare conarentur; ubi simul notanter addunt, sub Christianæ religionis nomine inlicita quævis eos præsumfisse. Aegerrime hoc tulit AMBROSIUS, proindeque gravem ad Theodosium scripsit epistolam, quæ inter alia continet: *Relatum est a Comite Orientis militarium partium, incensam esse synagogam, idque auctore factum Episcopo. Fussisti vindicari in ceteros, synagogam ab ipso ædificari Episcopo* (a). Tota ejus epistola fatus scatet maximo, quam Cel. BASNAGE in compendium deduxit; ex quo unam alteramque afferemus periodum: *Il declare au Prince, qu'il ne devoit plus être chargé de ses prières auprès de Dieu, s'il ne vouloit l'écouter & lui accorder sa demande. Après un debut si fier, il lui demande, comment il peut obliger un Evêque à rebâtitir cet édifice brûlé; puisqu'il faut nécessairement, qu'il en fasse un prévaricateur, s'il obéit à ses ordres, ou un Martyr, s'il n'obéit pas.* (b). Alio in loco ab Imperatoribus ita lancitum legimus: *Judæos scire volumus, quod ad eorum miserabiles preces nibil aliud sanximus, quam ut bi, qui pleraque inconsulte sub pretextu venerandæ Christianitatis admittunt, ab eorum laſione persecutioneque temperent* (c). Ex his omnibus, quibus plura addi possent decreta, satis patet, primos Christianorum Imperatores Judæos, tranquille viventes, non solum nullo odio fuisse prosecutos, ut potius contra mala, quæ eis a Christianis imminebant, defenderent.

(a) vid. *Epistol. XXIX.* (b) vid. *Libr. Et Tom. cit. Cap. 14.* (c) vid. *Cod. Theodos. Libr. XXVI. de Judæis.*

§. IV.

Causas mutui inter Christianos & Judaeos odii indagaturis variæ obveniunt, quarum nonnullas afferre, instituti postulat ratio. Primam igitur ponimus, quod æmulis utriusque ferebantur studiis in præstantia suæ religionis vindicanda. Constabat prima Ecclesia Christiana Judæis, qui utpote meliora edocti a Majorum suorum sacris fecerant secessum, quique agnoscabant & profitebantur, Christum esse verum Messiam, in mundum venturum, cultumque proinde Leviticum, illum præfigurantem, jam esse supervacaneum, auctoritatemque Synedrii & Synagogæ in posterum esse nullam. Quas opiniones ægerrime tulerunt Judæi, Majorum traditionibus in dogmatibus, quæ religionem spectabant, tantum tribuentes, ut eas Scripturæ Sacrae non raro præferrent, aliterque sentientes odio haberent. Cum igitur Christiani & Judæi in articulis religionis maxime momentosis a se valde dissentiant, pro communi mortalium indole fieri aliter non potuit, quam ut odium inter binas Ecclesias, quarum altera continuo increvit, altera autem ad suum quotidie vergeret occasum, existeret gravissimum, quod deinceps fuit auctum, postquam Religio Christiana in aliis aliisque regnis facta est dominans. Vitio enim ingenii hominum, moderatus se in adversa, quam in secunda fortuna gerentium, antistites existimabant, pacem Ecclesiasticam non satis securam esse, quamdiu sui inimici Judæi quadam adhuc potestate fungerentur, quo tamen a Salvatoris doctrina, ad aliquod regimen non directa, recesserunt. Ex Epistola Ambrosii in §. antecedente citata colligi potest, quam arroganter hic, inter Ecclesiæ Christianæ Patres præcipuo habitus loco, se jactaverit, & quod nihil intermisserit, ut Judæos odiis Impe-

peratorum exponeret, contra bonam etiam fidem afferens, Judæos credere, se haud esse obligatos, ad Leges Romanas observandas, & quod potius observantiam Legum instar criminis haberent; quam tamen incusationem non ex veritate, sed ab exulcerato pectore fuisse protectam quisque animadvertisit. Eandem tubam inflarunt sequentis ævi Ecclesiæ Christianarum antistites multi, quos inter nominare liceat ArchiEpiscopum Lugdunensem AGOBARDUM, qui seculo IX vixit, & ad Imperatorem LUDOVICUM PIUM scripsit librum de *Judaicis superstitionibus*, in quo plene exposuit Ecclesiæ Patrum in Judæos odium, & quod eos maxime sint abominati, inter alia ostendere conatus, Judæorum consortia multo magis, quam aliorum hæreticorum, esse detestanda & evitanda, & quidem ex hac ratione, quod cæteri hæretici licet in aliquibus articulis ab Ecclesia Christiana dissentiant, in aliquibus tamen cum ipsa consentiant; Judæi autem ex toto blasphemant Dominum Salvatorem nostrum.

§. V.

Ut porro Judæi eo atriori ab omnibus notarentur carbone, idonearum rationum defectui varia immixta fuerunt commenta, eisque talia afficta flagitia, quæ non posseint non aliorum commovere indignationem. Inter alia enim in vulgus Christianorum fuit disseminatum, Judæorum esse morem, infantem Christianum tempore Paschatos crucifixandi, perhibetque MUNSTERUS, Judæos ob tale factinus eis objectum, An. 1182 toto Galliæ regno fuisse ejectos (*a*). Imo ob similem culpam superstites Judæi pari proscriptionis pena ibidem sunt mulctati (*b*). A rerum quoque Germanicarum Scriptoribus discimus, plures Ju-

dæos

dæos An. 1305 Pragæ fuisse a plebe obruncatos ob rume
rem quendam, quod puerum Christianum flagellaſſent
ac deinceps crucifixiſſent. Notatque Cel. MOSHEIM, de
Judeis ſive vere, ſive per calumniam fuiſſe divulgatum,
quod fontes veneno infeciſſent, infantes Christianorum
occidiſſent, horumque ſanguinem bibiſſent, hostias, quæ
vocabantur, ſceleratiſſime tractaſſent, aliaque his minime
meliora commiſſiſſent, proindeque quicquid durum ac
crudele excogitari poterat, in miferam gentem eſſet de-
cretum (c). Has autem iñſimulationes ad Monachorum
fabulas eſſe referandas, ostendit Cel. BASNAGE, tandem
concludens: *Je crains, que ces crucifixions des jeunes Chré-
tiens n'aient été souvent autant de prétextes, dont on s'eſſ
ervi pour animer contre eux les peuples & les Rois (d).*

(a) Vid. *Cosmographiæ Libr. 2 Cap. 84.* (b). Vid. *Mat-
thiæ Parisiensis Histor. Angl. ad An. 1215* (c). Vid. *In-
ſtitutiones Historiæ Ecclesiastice p. 560.* (c) *Histoire
de L'Eglise Tom. V. Libr. 7. Cap. 11. §. 14.*

§. VI.

Propter has a nobis jam commemoratas, aliasque
vix majoris momenti cauſtas, multas gravesque Judei
paffi ſunt perfecutiones. Signum contra eos fufculit
CYRILLUS, ſeculo V Patriarcha Alexandrinus, propter
detestandam ambitionem famofus, qui, collecta ma-
nu Christianorum militari, Judeos urbe ejecit, synagogas
eorum occupavit, ædes eorum a Christianis deprædarī
permisit, multum licet reluctareur urbis præfectus, Ore-
ftes dictus, ſicut memoria prodit SOCRATES (a) Testatur
quoque du CHESNE, Galliæ Regem DAGOBERTUM ex
Epi-

Episcoporum consilio Judæos regno suo ejecisse; ita enim scribit: *Cum consilio Pontificum & sapientium virorum omnes Judæos, qui regenerationem baptismatis recipere noluerunt, finibus regni sui pellere jussit* (b). Prout Hierarchia Papalis in sequentibus seculis magis increvit, Pontifices quoque, zelum suum in Religionem Christianam declaraturi, Judæos, ut Christianismi acerrimos hostes, ubique locorum sunt persecuti, Principesque Europæ, quotquot paternam illorum auctoritatem agnoverunt, ut idem facerent, obstrinxerunt, petitionibus horum ad sedem Apostolicam delatis hac inter alias conditione annuentes, si Judæos exterminarent. In eum quoque finem Inquisitionum tribunalia fuerunt instituta, quorum erat officium dispicere, ne alia, quam Christiana, uspiam admitteretur religio; cuius decreti consequens fuit, ut Judæi & omnes, in quos suspicio hæreseos caderet, in isthoc jus vocarentur, &, sæpe indicta cauila, bonis suis privati ad gravissimos cruciatus a Sancto Officio condemnarentur. Nemini ignotum putamus, quod, instigante Inquisitionis tribunalí Hispaniæ, Rex FERDINANDUS, Catholicus dictus, Judæis in suo regno habitantibus proposuerit, ut intra unius mensis spatum vel avitam ejurarent religionem, vel pena proscriptionis mulctarentur, & quum hi prius recusassent, 170000 familiæ Judaicæ bonis suis spoliatae, in perpetuum pellerentur exilium. Harum parti desideratum asylum concedere non dubitavit Portugallia Rex JOHANNES II; quo autem tranquille frui eis non licuit, Rege EMANUELE se Papæ Romano obstringente, ut propter veniam, defunctæ conjugis suæ Sororem MARIAM, thalami sociam obtinendi, Judæos tota ejiceret Portugallia; in cuius tamen promissi executione humanitas magis, quam Pontificis voluntas fuit observata. Cæterum quisque has scenas ac-

euratius consideraverit, satis, ut opinamur, præsumit, non propter Religionem, sed invidendam opulentiam, istas in Judæos excitatas fuisse persecutionum tempestates.

(a) Vid. *Hist. Ecclesiast. Libr. VII. Cap. 13 & 14.* (b)
vid. *Histor. Franc. Tom. I, p. 582.*

§. VII.

Præterea sive statum civilem sive Ecclesiam Christianam consideremus, nulla fuisse videtur ratio Christianis, Judæos internecino odio prosequendi. Omnis enim ævi, ab eo præterim tempore, quo Judæorum regnum plane extinctum fuit, Historia docet, eos turbulentia auspiciis egisse consilia, aut seditiones movisse, ea, quam Principes illis indulgerent, sorte contentos; imo in plerisque locis arcte adeo habitasse, ut se putarent felices, si salvi modo esse possent. Hoc tamen non ita dictum volumus, quasi exstimateremus, Judæos omnes esse probos, aut vitam eorum ubique fuisse integrum, experientia docente, in hac natione, sicut in aliis, malos bonis esse mixtos. Nec facile crediderimus, Religioni Christianæ, cujus veritas tot confirmata est argumentis, a Judæis aliquod inimicere periculum. Quum enim Judæi publica nulla habeant collegia, nullasque Academias, in quibus scientias additcere queant; pauci quoque illorum tali eruditiois supellestili sunt instructi, quali eis opus est, qui alios ad suas amplectendas opiniones perducunt. Nec Judæorum genius in suam religionem propagandam fuit versus; cuilibet enim suo abundare sensu haud difficulter permittunt, modo suos speculationum œconomicarum circulos non turbet.

§. VIII.

§. VIII.

Alia adhuc crimina Judæis objicere solent Christiani, ut appareat, eos in horum odium ex merito incurrisse; quorum nonnulla expendemus. Inter illa primo fere loco ponitur Judæorum perfidia circa religionem, quæ tanta est, ut quamvis ex pluribus & omni exceptione majoribus argumentis plene sint convicti, CHRISTUM esse verum illum Patribus promissum Messiam, hanc tamen veritatem agnoscere detrectent, alium exspectantes Salvatorem, adeoque verum ex animi levitate abnegantes. Enimvero licet hæc Judæorum hæresis sit horrenda; attamen quum controversiæ de hæresibus ad Jus Gentium non pertineant, nec Judæi propter suum errorem sunt a Christianis odio habendi. Licet enim a nobis differant in religione, non differunt tamen in sanguinis cognatione; sunt enim æque homines, ac Christiani, & proinde officia, quæ ex statu humanitatis fluunt, æque illis ac aliis debentur. Si diversitas religionis jus daret, dissidentes ejiciendi, ethnici optimo jure ejeciscent Christianos, qui a Gentilibus pro hostibus Deorum habebantur, sicut Judæi dicuntur Salvatoris nostri hostes. Quod vero in religione sua non sint ipsa pertinacia pertinaciores, vel exinde constat, quod eorum multi, meliora edocti, Christianam fidem & olim sint amplexi, & etiam num amplectantur. Deinde Christianorum in Judæos odio is prætenditur æquitaris color, quod in commerciis sint ita fraudulenti, ut vix Argus a multifariis eorum technis se cavere queat. Si autem hæc ratio quid valeret, ostendendum foret, hoc Nationis Judaicæ vitium esse adeo generale, ut ab hoc criminе unus & alter non sit immunis; quod licet probari nequeat, Christianorum tamen in Judæos odium

eousque processit, ut hos haberent infames, & omnes Judaismum profitentes, a muneribus publicis & opificiorum exercitio excluderent; quod quam sit iniquum, cor datus quisque animadvertisit. Præcipue autem Judæi odio passim & ubique locorum habentur propter ingentes usuras, quas a suis debitoribus callide solent emungere, quorum iniquitati coercendæ plura ab Imperantibus objecta fuisse repugula civilia novimus. Inter alia severum est Imperatoris statutum in *Reformat. Politica de An. 1530* sub rubro: *Von den Juden und ihren Wucher*; ubi inter alia legimus: *Wir setzen, ordnen und wollen, daß die Juden so muchern, von niemand im Heil. Reich gebaußet, gehalten und gebandhabet werden; daß auch dieselbige im Reich weder Fried und Geleit baben sollen, und ibnen an keinen Gerichten um solchen Schulden, mit was Schein der Wucher bedecket, zu helfen &c.* Enimvero quam res Judæorum a Christianis in eas redactæ sint angustias, ut vix alias sustentandi modus, quum qui ex foenore provenit, ipsis sit relictus; nemo miretur, si occasione ac tempori inservientes, majores, quam par est, & leges ferunt civiles, sumant usuras, præsertim a debitoribus, apud quos sors mutuo data sæpe etiam periclitatur. Durities hæc Judæorum in debito exigendo adeo in vulgus quoque est nota, ut nemo fere ab his mutuo roget pecunias, qui ab alio necessarias honeste potest impetrare. Cæterum haud erit reticendum, quod quamvis fraudis suspicio Judæis promiscue adhæreat, non raro tamen contingat, ut Christiani cum Judæis, qui mercaturam exercent, lubentius, quam cum aliis mercatoribus, agere soleant, quippe qui majora mercibus paris bonitatis imponunt pretia, quam Judæi, parce admodum viventes ac modico lucro contenti. Sed filum plurium in præsentem rem afferendarum observationum abrumpere, temporis, qua nimis circumscrivimus, nos jubet angustia.